Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26092
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Christi discipuli. A quo efficiamur, nisi ab illo cuius misericordia praevenit nos? Ipsius enim sumus
figmentum, creati in Christo Ihesu in operibus bonis. Sicut dilexit me pater inquit, et ego di-
lexi vos; manete in dilectione mea. Ecce unde sunt nobis opera bona; nam unde nobis essent,
nisi quia fides per dilectionem operatur? Unde autem diligeremus, nisi prius diligeremur?
Apertissime hoc in epistola sua iste evangelista dixit: Nos diligamus, quoniam ipse prior dilexit
nos. Quod autem ait: Sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos, non equalitatem naturae os-
tendit nostrae et suae, sicut est patris et ipsius, sed gratiam qua mediator est dei et hominum ho-
mo Christus Ihesus. Mediator quippe monstratur cum dicit: [sic] dilexit me pater, et ego [dilexi] vos. Nam et
pater utique diligit et nos, sed in ipso; quia et in hoc glorificatur pater, ut fructum afferamus
in vite, hoc est in filio, et efficiamur eius discipuli. Manete inquit dominus in dilectione mea.
55 Quomodo manebimus? Audi quid sequatur: Si praecepta mea inquit servaveritis, manebitis in
dilectione mea. Dilectio facit praecepta servari, an praecepta servata faciunt dilectionem?
Sed quis ambigat quod dilectio praecedit? Unde enim praecepta servet non habet qui non diligit.
Quod ergo ait: Si praecepta mea servaveritis manebitis in dilectione mea, si non servetis praecep-
ta mea; si enim servaveritis manebitis. Hoc est: Hinc apparebit quod in dilectione mea
manebitis si mea praecepta servabitis, ut nemo se fallat dicendo quod eum diligat, si
eius praecepta non servat. Nam in tantum eum diligimus, in quantum eius praecepta servamus.
In quantum autem minus servamus minus diligimus. Quamvis quod ait: Manete in dilectione
mea, non appareat quam dixerit dilectionem, utrum qua eum diligimus, an qua ipse nos
diligit, sed ex verbo superiori dinoscitur. Dixerat quippe: Et ego dilexi vos; cui verbo
continuo subiunxit: Manete in dilectione mea. Illa ergo qua dilexi vos. Quid ergo est ma-
nete in dilectione mea, nisi manete in gratia mea? Et quid est si praecepta mea servave-
ritis manebitis in dilectione mea, nisi ex hoc scietis quod in dilectione mea qua vos
diligo manebitis, si mea praecepta servabitis? Non ergo ut nos diligat prius eius praecep-

[Marginal gloss:] [...]tendit non unde dilec-
tio generetur, sed unde
[...]stretur; tamquam diceret:
et vos pergite manere in
dilectione mea.